

D. D.  
APHORISMI MISCELLANEI  
AD  
IDEAM  
ERUDITI  
PERTINENTIA  
TRACTANTES,  
QUORUM  
CONTINUATIONEM

Permittente Ampliss. FAC. PHIL. Regiae Acad. Aboënsis  
Censuræ publicæ submittunt

SIGFRIDUS  
PORTHAN

PHILOS. MAG. & HISTOR. LITTER. DOCENS;

Et

JOHANNES MICHAËLIS YTTER

ABOËNSIS

DIE 16 MARTII ANNI MDCCCLXV.

L. H. Q. M. C.

---

ABOÆ,

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

VIRO  
MAXIME REVERENDO Atque CELEBERRIMO  
**D. NO JACOBO**  
**GADOLIN,**

S. S. Theologiæ DOCTORI & PROFESSORI  
Celeberrimo,

Consistorii utriusque ASSESSORI Gravissimo,  
ANTISTITI Ecclesiæ Fennicæ Urbis Aboënsis  
longe Meritissimo,

Reg. Acad. Scient. Holm. Socio Dignissimo.

**MÆCENATI MAGNO.**

**Q**uam vasta & profunda Tua Vir Maxime Reverende,  
in omnibus tum divinae tum humanæ eruditionis par-  
tibus, scientia sit, res est universo orbi eruditio notissima,  
quamque mei minime est ingenii, dignus celebrare laudibus.  
Nihilominus vero, cum omnes teneantur boni, virtuti atque  
doctrinæ sincera præstare homagia, tanto minus etiam vel  
Tua me amplitudine vel mea tenuitate a declaranda publi-  
ce veneratione mea deterreri debere credidi, quanto magis  
Tibi,

Tibi, ceu Promotori meo Nationisque cui adscriptum me ci-  
vem Academicum mihi gratulor Inspector Benignissimo, ra-  
tiones reddere studiorum coeptorumque meorum me decet,  
Tuaeque omnia quibus in litterarum palestrâ me exerceo  
censuræ subjicere. Tum autem favor insuper singularis, quo  
omnes & singulos Musarum cultores semper complexus es,  
animum mihi addit atque in spem ingredi jubet, pro Tua  
Te Vir Maxime Reverende & Celeberrime magnanimitate  
non ægre id latetur, si opellam hancce, ruci a me prope-  
diem Minerva defendendam dicare Tibi ausim, Tuoque ab  
Amplissimo Nominis splendorem eidem conciliare. Condona  
hanc mihi temeritatem, Patronne atque Macenos Indulgentis-  
sime, serenaque accipe fronte & respice chartaceum munu-  
sculum, quod in pietatis ardentissimæ & nisi cum memeri-  
plo nunquam intermoritur & pignus atque tesseram Tibi of-  
fero. Hoc abs Te Vir Maxime Reverende atque Celeberrimi  
enixissime oro & peto, meique vicissim esse officii sem-  
per existimabo, DEum T. O. M. seriis compellare precibus,  
ut in ecclesiæ, patriæ, reipublicæque litterariæ universæ e-  
molumentum & decus, Nobilissimæ Tuæ Familiae fulcrum ac  
solarium, & clientum honorumque omnium tutamen & re-  
fugium, omnigena beatum felicitate Nestoreos adusque an-  
nos Te servare, augere atque adjuvare velit.

MAXIME REVERENDI Atque CELEBERRIMI  
NOMINIS TUI

Cultor & eliens devotissimus  
JOHANNES MICH. YTTER.

MAXIME REVERENDO Atque AMPLISSIMO VIRO  
**D: NO WILHELMO**  
**ROBERTO**  
**NÀÀF,**

Poëseos PROFESSORI Reg. & Extraord.

Celeberrimo,

Gratiæ Vallensis, Resoënsis & Merimaskoënsis Ecclesia-  
rum ANTISTITI Meritissimo,

NEC NON

Facultatis Theologicæ ADJUNCTO Dignissimo,

**PATRONO** Atque PROMOTORI Ætatem  
Devenerando.

**T**ot tantaque Tuæ Vir Maxime Reverende atque Am-  
plissime in me benignitatis documenta expertus sum,  
ut ne quidem verbis eadem exprimere omnia valeam,  
nedum reapte unquam satis gratitudinem meam testa-  
tam facere. Nam ab illo usque tempore, quo Studio-  
forum ad Regiam hancce Academiam albo adscriptus  
sum, & eruditione Tua solidissima me manuducere o-  
ptimisque regere consiliis dignatus es, & paterno plane  
affectu indignum me tanto, faceor, favore complecti,  
variis-

variisque cum novercantis fortunæ injuriis conflictantem respicere. Dum ergo hæc omnia mente rumino, adeo me devinctum Tibi obstrictumque sentio, ut jure omnino piaculum meritus viderer, si hac oblata occasione, cum primum editurus præsentis defensione dissertationis ingenii mei specimen sum, accepta abs Te Vir Maxime Reverende atque Celeberrime beneficia, gratissima recordatione publice non commemorarem atque deprædicarem. Cujus proinde in venerationis atque pietatis meæ signum, humillime jam oro Te atque obtestor, ut Tuo me Amplissimo Nomini hoc consecrare opusculum patiaris, maximaque mea erga Te obligatio ne quodammodo saltem defungi. Cæterum & id pariter ad officii mei religionem pertinere, perpetuo mihi in memoriam revocabo, ut pro sempiterna Tua felicitate perennique flore, quem in Ecclesiæ, Reipublicæ & Litterarum bonum cœllurum, quotquot sunt uno agnoscunt atque loquuntur ore boni, ardentissima vota fundere nunquam desistam. Ero dum vixero

**MAXIME REVERENDI Atque AMPLISSIMI  
NOMINIS TUI**

*Culcor & cliens humiliatus*  
**JOHANNES MICH, YTTER.**

VIRO Preclarissimo,  
**D:no Mag. NICOLAO TURDIN,**  
CORRECTORI Scholæ Cathedralis Aboënsis Dignissimo.  
VIRO Plurimum Reverendo atque Preclarissimo,  
**D:no Mag. MICHAËLI AVELLAN,**  
Ecclesiae Fennicæ Urbis Aboënsis CHORALI Laudatissimo.  
VIRO Per quam Reverendo atque Doctissimo,  
**D:o BARTHOLOMÆO HOSLENIO,**  
SACELLANO in Rejo longe Vigilantissimo.  
**FAUTORIBUS HONORATISSIMIS.**

**Q**um in memoriam mihi revoco favorem singularem, quem  
nullo non tempore mihi præstisisti, beneficiaque innumera,  
quibus identidem me cumulavisti, fateor me clare admodum per-  
spicere, quam parum Vobis pro tantis referre meritis gratiam va-  
leam. Ut autem de animi mei gratitudine pioque in Vos mentis  
affetu nulli duhitetis, summopere Vos oro rogoque. Cujus ut  
publicum exstaret documentum, dissertationem quam Exercitii A-  
cademici loco defensurus sum, Vestris ornare Nominibus sustinui,  
idque ut benigne interpretari dignemini, & æqui bonique, pro  
eadem indulgentia, quam in aliis mihi rebus exhibuisti, consu-  
latis, blanda me spes tenet. Quicquid mihi DEus O. M. tem-  
poris atque vita concesserit, id sinceras fundens pro perpetua  
Vestra felicitate preces vivam, ut salvi, fospites atque incolu-  
mes, ad summam quam mortalitas patitur senectam, diutissime  
conservemini, in Ecclesiæ, Litterarum & Patriæ, cum Vestrom  
quoque proprium Vestrorumque omnium, bonum & gaudium  
exoptatissimum.

**PRÆCLARISSIMORUM & PLURIMUM atque PER QUAM RE-  
VERENDORUM  
NOMINUM VESTRORUM**

*Cultor humillimus  
Joh. Mich. YTTER.*

## APHOR. XLII.

**G**enuinum porro Eruditum & nomine suo dignum;  
 in augmenti scientiarum florisque Litterarum cu-  
 ra gerenda, varia effrenæ imaginationis commenta, sine  
 corpore umbras & magnifica illa sine respondentibus tan-  
 tæ magnificentiae ideis vocabula, fallaciam sibi portare  
 aut palpö se percutere, haud pati oportet. Quod ad li-  
 bros ex. gr. scribendos, variæ cautelæ sunt, amicorum-  
 que "Lazare vade foras" aliæve ejusmodi regulæ, plu-  
 rimas habent exceptiones. Inventa etiam nova parcus  
 ambitioni subblandiantor; nam ejusmodi hæc itineris dux  
 est, quæ facile ad devia seducit: Prout indigentia gra-  
 dus & necessitatum numerus augentur, ita inventiones  
 quoque pedetentim subsequentur, invertendus ordo non  
 est, nec incipiendum ubi finiendum erat. Mundus in  
 genere scientias cumulat eodem prorsus modo ac ava-  
 rus divitias: utriusque igitur eorum mors & existendi  
 finis improviso instat, ipsa adhuc sub collectione, &  
 prius quam potuerint i. e. (ceu aliis districti curis) vo-  
 luerint, de copia sua ad DEI gloriam propriumque ve-  
 rum bonum impendenda cogitare. Si veritas nobis non  
 honos meta proponitur, utilitas nos non curiositas du-  
 cit, omnium facillime tuti a periculis ambulabimus,  
 nulla erit festinandi necessitas, nec hypothesibus præ-  
 cocibus opus, aut ædificiis arenæ superstructis: Enim  
 enimvero, cum alioquin etiam hallucinationibus innume-  
 ris semper simus obnoxii, sollicite est curandum, ut  
 errores isti, quoad ejus fieri poterit, præter culpam no-  
 stram obrepant. Orbis Eruditus orbis certe est, qui  
 non sui sed alias ergo subsistit, quamvis sæpiissime fi-  
 etum hoc orbis nomen, ad abusus revera ridiculos stul-  
 tissimosque frivolis excusationibus palliandos, quasi de  
 crinibus trahatur. Tuto ubique munera sui, vel Chri-  
100.  
stia;

stianismi & socialitatis, officia præponere licebit, ubi-  
cunque collisio existere, inter reipublicæ Eruditorum  
& reliqui hominum generis utilitatem, videtur.

Conducet Erudito, ad hic alibi obvenientes ab-  
usus evitandos, & id inter alia, si studiorum rationem  
ita instituat, ut nullæ sibi scientiæ sine Historia earun-  
dem tractentur; nec Historias vicissim sibi utiles retur,  
nisi in rebus versatus sit, quas commemorant (Cfr. sis  
Aph. XII.) Tum nimirum optime de sententiis & con-  
troversiis, de moribus, de utilitate vel damnis rerum, a.  
i. p. iudicabit, cum origines earum & reliqua fata, ex  
Auctorum annalibus noverit. Perspiciet, quam parum o-  
mnino unus præ altero populus seculumve gloriandi cau-  
fas habeant, & quomodo risui sæpiissime posteris illæ e-  
vadant ratiunculæ, quas tam fortia prius, prærogativæ  
sue præ aliis æstatibus demonstrandæ, argumenta homi-  
nes duxerant. Scriptores Arabicos leget, DEO benedi-  
centes, quod post non ante illos nati sint dies, quibus  
magnam illam veritatis lucem Muhamedem contigit ter-  
rarum orbis bono exoriri; Philosophos Scholasticos, val-  
de lætatos, quod ævo vivant scientiis bonisque artibus  
maxime favorabili; alios alio tempore impendio magis  
atque in sinu sibi gratulantes, quod postquam plura per  
annorum millia in ignorantia, de genuinis regnandi vi-  
vendique regulis, versatus fuisset mundus, sui tandem  
æquales vera felicitatis nostræ promovendæ media per-  
fecte detexerint. (Conf. sis Aph. XXI. XXII. XXXIV.  
XXXIX). Totam heic vero Historicæ hujusmodi per-  
videns illustrationis utilitatem, frena illico imaginationi  
injiciat oportet, nequaquam oblitus simul ejusdem cum  
aliis rerum momentis sumendæ, ne ad temerariam ea-  
dem insolentiam uspiam abutatur. Nec dissimiliter, quo-  
ad mores, intelliget ab antiquissima usque ætate certa e.  
g. inter Eruditos instituta vigere, quæ a reliquis Pedan-  
tismi

tismi nomine irridentur, sed eodem nihilominus sive ju-  
re sive injuria possunt defendi, ac similes eisdem alio-  
rum consuetudines; neque enim difficile esset, vel solas  
illas varii generis, in se plerumque inutiles, post autem  
quam semel in usum receptæ sunt, necessarias tamen,  
ita dictas *formalitates* reputantibus, pedantismos politi-  
cos, juridicos & nescio quos non? magno ubivis nu-  
mero invenire. (Cæterum de pedantismi exprobra-  
nibus supra quoque iam egimus, in primis Aphor. V. &  
XIII, sequentique iterum Aphor. paucis monebimus.).  
De hoc denique certus reddi Doctus noster poterit, quod  
sola hominum malitia & perversitas, non autem res in se  
utiles, licitæ & necessariæ sint, aut certa præ aliis vi-  
tæ & munierum genera, quibus abusus innumeri impu-  
tari debent, quos indies cernimus. Sic apud omnes po-  
pulos & in omnibus religionibus atque seculis observa-  
tum est, ubi penes Ordinem Sacrum summa rerum re-  
sedit, tantum non semper & ex continentia crassissimam  
superstitionem atque hypocrisin cœpisse regnare; prout,  
ubi ipse Magistratus Civilis imperii habenas retinuit, ma-  
nifesta vicissim impietas apertaque morum licentia gras-  
sata est. Utrobique procul dubio eadem vitia & eadem  
peccata deprehendes, sed illic sanctis, hic elegantibus &  
magnificis sub vocabulis latentia. Certæ namque circum-  
stantiæ certæque receptæ aliquando vulgi opiniones sunt,  
quæ apud diversos populos, vel homines diversi vitæ ge-  
neris, diversas etiam virtutes vitiave produxere & pro-  
ducunt; sua utrique parti virtus laudabilior videtur &  
vitium excusatione dignius, quam alterius cujuscunque,  
& in primis adversariæ.

Eiusmodi vero diversitas, sicut inter homines & na-  
tiones, ita inter secula, pariterque produceens præposto-  
ra vel contradictoria sibi, de virtutibus & vitiis judicia,  
reperitur. Pertinacia, furor & rabies cum superstitio-

ne conjuncta, primis post viorum Apostolicorum obitum Christianismi seculis, martyres fecerunt, quos die novissimo in beatorum forte numero desiderabimus, aliosque vicissim inibi inveniemus, de quibus id minime credideramus; Atque talis correctio non modo ad Pontificiorum Martyrologias extendetur, sed & de illis passim Sanctis meliora docebimur, quos prisci ævi Christianorum ductum sequentes nos ipsi quoque, pro genuinis veritatis cælestis, sangvine suo obsignati, testibus, certo habemus. Quælibet præterea ætas suis se vitiis blandam mitemque in censura præstat. Nos e. g. procacibus & futilibus nostris lætitiis æque nos benevolos præbemus judices, ac veteres se affectatæ persæpe gravitati suæ. Homines semper eas sequuntur partes, ubi vel maximum lucrum vel maximæ saltim laudes & aliorum admiratio obtineri potuerint; quæ quidem varii præmia studii, nec jam austeritate nec olim hilaritate aillequi sivevimus. Cum ergo adversus hypocrisin exercere nos Satyris ac redargutionibus nostris debuissemus, potius externam sumus licentiam aggressi; nunc vero, cum hanc adoriri oporteret, immani illam zelo persequimur. Primis, quæ diximus, æræ Christianæ seculis, non multi erant, qui abusum divitiarum corupti simul agnoscebant, etiam divites posse beatos fieri, si donis & benedictione DEI ad præscripta ejus rite utantur: Nostris diebus de similitudine Salvatoris, ab acus foramine & camelio desumpta, nemo, qui phanatici vel ad minimum invidi & misanthropi nomen veretur, loqui audet. bona aliquando, gratissimum DEO opus agendi, intentione, ab infensissimis ejus hostibus, ethnicis eorumque philosophis & sacrificulis, crudelissimas quasvis corporis afflictiones mutuati sumus; quibus scilicet animæ salus tanto melius certiusque promoveretur: Aliis temporibus nunquam adeo lenes tradi possunt, vel maxime que

que necessariorum & immutabilium indispensabiliumque, mandatorum explicationes, quin semper tamen nimis dura, nimis severa audiant, atque intolerandum dicatur Christi Evangelium discipulorum cervicibus jugum imponere. Cum propriæ mentis impetus pro Apostolorum præceptis habentes Christiani, quo DEO soli gloriam darent, sanissimæ etiam rationis usum ut horrendum quodam peccatum depingerent, nemo ea monere ausus est, quæ de licto utilique dici potuissent: Hac tandem, & in spiritualibus non minus quam temporalibus, supremi judicis auctoritate potita, quicunque de captivanda eadem sub fidei obsequio sermocinatur, ex continenti ignorantia, stupiditatis & superstitionum patronus habetur. Hisce rerum summas tenentibus, omnium aduersus incredulitatem bilis commovebatur; isti dato imperii arbitrio, mirum quantum ad has sumus persequendas animosi, vehementissimeque dicterioris proscindimus quicquid vel umbram earum habere videtur. Cum Pontificii & Protestantes ejusmodi in se invicem turpissima quævis opprobria & convitia ingererent, quæ longe profecto a pio aberant zelo, atque nihil utrinque minus indigitabant, quam Christianam mansuetudinem & in DEI ipsius judicio ac directione acquiescendi conatum, quot vero tum, de imprudenti illicitaque vehementia & ejus damnis, verba facere sustinebant? Post rursus quam communes utriusque parti hostes irreligionarii extitere, ubique laudari tolerantiam audies, credere incipimus quemlibet in sua qualicunq; religione salvari, & quo adversariis ægre faciamus, Iudaos mox & Muhamedanos idolorumque cultores in regnum cœlorum intromissuri sumus. Homines sane, in genere quidem loquendo, omni tempore de sensuibus bonis atque prærogativis magis solliciti, quam de opinionibus, fuere; Quod ad opiniones autem, pro-

priæ suæ gloriæ, qui illius vel hujusmodi de DEO sententias fovebant, quam DEI de quo illæ fovebantur, majori longe tacti sunt cura.

## APHOR. XLIII.

Duo in republica Litteraria scriptorum genera dantur, alterum Academicorum, quod tamen nomen plures et jam, quam qui proprie dicendo Academicæ vocantur, comprehendit; alterum cæterorum quorumlibet, qui scribendi negotio se immiscent. Singuli auctores cuicunque voluerint factioni se tradunt, sed vitæ plerumque circumstantiæ, & recepti quos modo innuimus usus atque opinones, ita plurimos in eligendo nihilominus determinant, ut alias Academicæ, alias reliqui fere omnes, methodos sequantur: Ceterum eadem est hæc nostra distinctio cum illa, quæ de Esotericis & Exotericis eruditorum scriptis, ipsisque eruditis, loquitur. Id vero præ illis hi sibi prærogativæ arrogant, quod immunes se ubi vis a pedantismi labe præstent: Tantum non semper vernaculo scribunt idiomate, vel si alio, saltem hodie florenti, non autem prisci ævi aliquo: folis sibi eam deberi laudem contendunt, quod inutiles subtilitates aut steriles speculationes, quæ ad praxin deduci in vita humana nequeant, haud unquam lectoribus suis propinent: eloquentes se etiam alteris esse magis, raro dubitant: doctorum nomen ut plurimum fastidiunt (cfr. sis Aph. I.), aliaque sibi vindicantes, ingeniosi, perspicaces, experti, prudentes & homines emunctæ naris audire avert. Quæritur subinde, utrum Eruditi, an adversariæ illi factionis sint (les hommes du monde, quo mirificæ videlicet sibi titulo placent), quibus præsertim præsentem ingenii culturæ bonarumq; litterarum florem adscribere debeamus? Qui Historian Litterariam consulere haud gravantur, nec fumum volunt vendere, aut obscuris ex perceptionibus hinc illinc corrasis judicare,

sed

sed in fundamenta assertionum, atque rerum & argumentorum nexum, inquirere, facile perspicient, nihil se quod Doctis præ aliis objicant, hic habituros, & ipsam in se quæstionem inutilem nulliusque pretii esse: Eadem nempe, ut nuper monuimus, natura humana, quæ in his vitæ circumstantiis ad hanc stultitiam vel hæc vitia delabitur, in illis ad illa pervenit. Prout autem indubium est, & pedantismi sordes moribus contrahi, solos in libros semper incumbendo, nisi cultorum simul hominum conversationes querantur, & difficulter e contra evitari, quominus ridicule affectateque politis (Petit-maitres) contingat evadere, si præter conversationes nihil amplius desiderari putemus, ad tales nos ut esse debemus formandos; ita &, quod ad lectionem attinet, æque pene necessario fit, ut per illam itidem ad alterutrum horum extremonum inclinemur, ubi sola nobis, sive Academicorum doctorum sive alterius classis, volumina, perpetuum teruntur, nunquam aut parce nimium oppositi generis illis consultis. Quantum porro Academicici a reliquis ornatu forte superantur, tantum eisdem ordine systematico, soliditate & rationum pondere, plerumque præstare, vix jure negatur: ubi simul tamen varia utrobique, spuriæ nec genuinæ ingenii, culturæ indicia, sponte decet fateri, cuiusmodi ex. gr. est, quando Esoterici, sub maturitatis sectandæ specie, perspicui & terci esse negligunt, & theoreticis in speculationibus oberrantes, experientiæ de rebus dictamina prorsus obliviscuntur: Exoterici vero, ornatum venantes, cogitationum soliditatem, argumentisque non minus quam rebus bene disponendis operam navandam, posthabent; qui sane, quo experientia, cuius vulgo ubiores occasiones habent, recte utantur, firmis bonis principiis egent, ad rei & materiae culibet classem locumque debitum assignandum, Lectores interea singuli,

li, ipsis sibi id esse negotii datum reputent, hoc curare, ut ubique homines, non ut videri cupiant, sed prout actu sunt, æstiment, neque aut subpalpari sibi cultis politisque unius partis flosculis, & excæcari se atque subjugari auctoritatis ostentatione patientur, aut debilibus & impotentibus alterius minis, ridiculeque ambitiosa soliditatis affectatione, a propriis etiam luminibus utendo absterreri sinant; bene videlicet gnari, terminos philosophicos, distinctiones & regulas, meditandi solum esse adminicula, non autem ab exemplari dependendi obligationem producere, nec eeu cancellos rationi legitime ratiocinanti positos, haberi oportere. Denique & illud recordandum in judiciis de his rebus ferendis erit, ne aquam ad juventutis Academicæ exercitationes atque tentamina, quale hoc nostrum & ejus generis plura sunt, attendi debere; quippe quorum, non tam alios erudire, quam propriarum facere virium periculum, scopus est.

### APHOR. XLIV.

In iis, a quibus maxima Eruditus cura sibi caveat, Paradoxophilia quam vocant est, sive opinionum singularium ob solam singularitatem amor; utpote qui multifariæ multis dementiæ origo fuit. Supra jam (Aph. XXXII.) notavimus, haud fuisse Sapientissimi Clementissimique Creatoris nostri conatum, abscondendo veritates in quotidianis negotiis nobis necessarias, difficilem molestamque in terris vitam nostram reddere, sed genuinas laborum caussas in ipsis nobismet latere. Quomodo extrema Historiæ ope vitari queant, ad hoc ulterioris meditationis ansam Aphor. proxime præcedentibus dedimus. De natura paradoxorum Aph. XL. paulisper egimus; ubi simul adducta sunt simplicissimarum quarundam, communium in omnesque partes valentium veritatum exempla, quarum & similium neglectu (sicut in Præfatione quoque monitum) in errores

rores incidere solemus, ipsique perniciem nostram quæ-  
 rimus, dum ubique insolita & portentosa venamur, or-  
 dini DEL contrariamus & ægre adeo, sive in jucundis  
 sive in utilibus, sive in necessaria ad hæc utraque com-  
 paranda rerum notitia, præscriptis ejus obtemperamus.  
 Insignis autem differentia est inter illam prudentiam  
 qua principia vulgo agnita sive *sensum communem* sequi-  
 mur, & inter cæci ad instar in vulgi sententiam pe-  
 dibus (non certe ratione) ire; Maxima enim vulgi quo-  
 que pars haud magis de istis regulis solliciti sunt, ac  
 vel Eruditæ. Nec igitur plebeculæ credendum supersti-  
 tiosas suas nugas glocitanti, neque bis duo esse sex sta-  
 tuendum, ideo quod quælibet anicula quætuor id face-  
 re computet. Finis eruditionis eo haudquam absolutur,  
 ut quidam tantum inter cæteros emineant (Aph.  
 XXXVII.) & verus sane Eruditus minime gentium tam  
 indignas humanitate sententias fovet, ut omne mortali-  
 um genus erroribus implicitum cupiat, quo sibi hallu-  
 cinationis id convincendi gloriam vindicet, ipseque so-  
 lus bona in via, dum cuncti alii devia sectantur, con-  
 stitutus videatur. Quam ardenter potius non desideraret,  
 omnes & singulos omnibus quæ ad genuinam eruditio-  
 nem, & omnibus quæ ad recte utendum eadem requi-  
 runtur, affatim esse præditos! Longe majorem namq;  
 honorem existimat, unum de multis inter eos haberi,  
 qui sane sentiunt, quam celebrem, utut cum majori quam  
 unquam hucusque orbis vidi ingenii sive festivitate sive  
 profunditate, morosum esse. "Une espece de fatalité,  
 verba tradimus Fontenellii, veut qu' en tout genre les  
 methodes, ou les idées, les plus naturelles, ne soient  
 pas celles qui se présentent le plus naturellement. On  
 se met presque toujours en trop grand chemin pour les  
 recherches qu' on a entreprises, & il y a peu de ge-  
 nies heureusement avares, qui n'y fassent que la de-

pense absolument nécessaire. Ce n'est qu'il ne faille de la richesse pour fournir aux dépenses inutiles, mais il y a plus d'art de les éviter, & même plus de véritable richesse."

### APHOR. XLV.

Id quoque frequenter Eruditis objicitur, quod & in ipsis tractationibus suis obscuri esse & scribendi genere for- didi soleant. Caussa obscuritatis interdum in eo latere pot- est, quod ceu exulti magis ingenii majorisque perspic- citatis, claras putent res quæ cæteris nobis revera id ta- men non sunt, ideoque, pergentes in catena conclusionum sua necunda, perceptiones quasdam sive articulos indig- tare negligant; quorum nos articulorum quandoquidem cum reliquis illis affinitatem haud pavidemus, ab occasio- ne cogitandi postmodum de iisdem, ubi supponuntur, de- stituimur, aut minus necessarium ducimus eos investigare & in nexus eorum cum præsentibus inquirere. Verun- tamen, hoc forsan est ex ea tantum parte, ubi pulchrior apparet, rem considerare, cum sponte & deliberato consil- io tenebras, deliciolas istas, multi lectentur? qui quas so- lida ipsorum argumentorum enodatione, eximias suas in- genii dotes, admirandas mortalibus sistere nequeunt, ea- rum spinoso tractandi genere, & caligine apte suffusa, exi- stimationem mereri allaborant? Quicquid sit, ingenium hæc ostendandi cupido omnibus hominibus insita est. In- cipias, licet, ab iis qui bona malaque fata nostra in ma- nibus suis tenent, porroque inferius gradatim descendas; sed ubique deprehendes eandem indolem. Nec enim su- torem quidem opus habebis multis prius verbis rogare, quam affatim convincaris, quanta sollertia quantaque indu- stria ad calceum elegantem formandum requiratur; Ad- huc vero minus aniculam, ut de profunditate ac subtilitate ingenii, nec non meditatione diffici, satis superque edo- caris, quæ ad excogitanda solvendaque ænigmata, ad fa-

bu-

bulas & historiolas comminiscendas, ad somniandum denique & somnia interpretandum, necessariæ sunt. Atque revera eriam ita est, dum arctis manet terricolarum intellectus limitibus circumscriptus, ut plane nihil referat, quidnamcunque sibi ingenium eorum tractandi objectum, faxumve volvendum, eligat; Ex omni enim omnino re, prout libitum ipsis fuerit, artem sibi, quantumvis difficilem, fingere valebunt; Sunt certe, qui scriptis editis demonstrare satagunt, sutrinum quoque, ad methodi mathematicæ rigorem, scientificis regulis instrui & excoli posse. Multa vero exempla conquerire haud egerimus, cum vel charicularum tantum, aliosque ejusdem generis, ludos nominasse sufficiat: nec in his tamen obvenientes abutus, ut illicitos & noxios jam consideramus, sed ut ridiculos solummodo & futilles. Richardson in citato supra (Aph. XII.) libro ait, veteres, si resurgerent e sepulcris, valde fore admiraturos, quod nostris diebus qui politi esse haberique avert, non in saltandi, musicis &c. sed & ludendi artibus, magistros adire debeant. Jurare propemodum auderem, ne Heraclitum quidem, miserabiliter alloqui se dedere & deplorire apud omnes de mortalium stultitia solitum, risum continere potis fuisse, si homines vidisset ad Algebræ principia quem l’Hombre vocamus lulum exigentes; vel si de comium, cultorum atque urbanorum, utriusque sexus, societatibus narrari audivisset, qui utilioribus & multo per sepe facilioribus suis negotiis posthabitatis, cum animum relaxare scilicet student, ad lusorias se mensulas suas contenerunt, ibique tempus quod sibi ad hanc operam seposuere, (id vero semper maxima diei pars est) tanto molestioribus excruciat curis terunt, quod vel natura ipsa atque indoles rei istius eos prohibeat, frequentissime se alternis vicibus excipientibus spei & metus, doloris, invidiae & ambitionis affectibus illis, paululum etiam, vultu, verbis aut gestibus prodendis, quibus ad lucrum & damnum quod-

vis, vel reportandi ejus probabilitatem, agitantur. Sive autem ut Heraclitus hæc hujusque modi alia contemperis, sive ut Democritus, utroque sane in casu, immanem esse stultitiam nostram, fatendum erit. Quod ad Eruditos attinet, tam originem absurdī vere & insulsi moris, de quo loquimur, in infirmitate nostra, quam in dementia latere robur animadvertes. Superius de thrasonum & nanorum, heroës & gigantes imitandi, pruritu monitum est (Aph. XXXI.); Sed & hi sæpe laudes sibi & honorem deberi ob talia postulant, quibus, si saperent, excusationem potius peterent. Cum perfectio in eo consistat, ut & perspicaces & perspicui & eloquentes simus, cumque raro admodum vel unius horum rite mereri laudes possimus, nedum omnium consequi simul, id consilii inventum est, ut vitia nostra gloriæ nobis duceremus, & eadem uteremur erga nos ipsos civilitate, quam priscis librorum auctoribus Critici præstitere, dum ex solœcismis, nævis & erroribus eorum, rhetoricas poëticasque figuræ facerent; sicut v. c. Prolepsi, quam appellant, subinde accidisse, notatum est.

### APHOR. XLVI.

Ne contra regulas Aph. VIII. & X. commemoratas peccare videamur, ~~et nœḡd̄o~~ ut ajunt declaramus, perfectum nobis omni numero Eruditum non eo sensu intelligi, quasi omnes esse tales possent, aut Herculis cothurni infantibus etiam deberent aptari; id enim fieri non posse, vel propria edocemur experientia, ceu quibus incomptum nec admodum perspicuum contigisse stylum & ipsi subinde animadvertisus & amicis credere commonentibus fas est. Sed ita sentimus: cum perfectio tamen communis omnium meta sit, omnium etiam esse, quid sibi illa velit quidque ad eandem requiratur nosse, ut quo quisque proprius ad metam accelerit, hinc ei laus sit. Mu-  
tua

tua nimirum quam cum ut homines tum ut Christiani nobis debemus benevolentia, & unius proinde per alterius exemplum ad laudabilia sectanda excitatio, morem cuius primæ forte origines ad philautiam tantum referendæ sunt, postmodum quoque retinere sivere & auctoritate sua addita comprobavere: non jam hos qui in omnibus, sed qui in plurimis bene agunt, honore laudibusque prosequimur. Sic eruditionis, sic virtutis aliaque nobis invicem pulcra tribuimus nomina; in se actiones hominum, quocunque demum in statu vitæque genere versantes considerentur, nulla omnino re, quam magnificis quibus denotantur vocabulis, minus dignæ, quin potius parce admodum titulis respondentes sunt. Quid igitur obstat, quominus jure prohibeatur Eruditus noster obscure aut inculte loqui? In eo sane studium operaque ejus versari debet, ut claras & distinctas ideas earum rerum habeat, quas communiter alioqui male mortales percipimus ægreque intellectu consequimur, & ad errores ideo in judicando de iisdem delabimur; ideas universales & compositas, in particulares & simplices, resolvat; tam ipsa argumenta, quam tractandi eadem & cogitandi de illis modum nostrum, noscat & examinet. Qui ipse secum meditans apte perceptiones suas volvere didicit, atque apud se ordinata habere & composita omnia domi amat, næ ille foris quoque haud aliter se gerere, aliisque itidem concinne exponere cogitata sua, studebit. Lectio, usus & exercitatio peritiam constituunt, ideas inveniendi habitum comparant, ab his ad illas pergendi, omnesque ab invicem distingvendi & dijudicandi artem docent (Aph. XII. XV. XXXIII.). Ideæ, non minus quam ipsa verba quibus designantur, imagines sunt (cfr. Aph. XIX); Ex comparatione earum similitudines nascuntur, quas ergo sine difficultate Doctus reperiet, meliusque aliis, aptæ an ineptæ sint, judicium

feret, nec vel his, vel loquendi formulis figurisque, præ-  
 postere utetur. Debet certe ad se ipsum suasque cogi-  
 tationes attendisse (quod apperceptionem Eruditi appellant),  
 tamque in contemplando versatus id fecisse, quam variis  
 agitatus affectibus; quorum posterius quidem multo diffi-  
 cilius, sed & multo lucrosius magisque proficuum est.  
 Summam utriusque utilitatem esse perspiciet, ad intelli-  
 gendum, quomodo tractandi homines agendumque cum  
 eis sit, sive scripturo sibi sive locuturo. Mutuus ordo  
 & convenientia rerum in mundo hocce nobis obvenien-  
 tium, unde prædicta illa proclivitas ideas examinandi, ex  
 earumque consideratione judicia formandi, oritur (conf.  
 sis Aph. XXXII.) simul cum accurata, & modo quo  
 innuimus acquisita, cognitione naturæ humanæ, in omni,  
 ut sæpe ostendimus, negotio quod urgendum sibi propo-  
 nit, eadem se perpetuo ratione gerentis; ansam & occa-  
 siones hic ipsi præbebit atque principia dabit, quibus in  
 meditando nitatur. Tales puta nos fecit & ejusmodi in  
 orbe collocavit provida DEI sapientia, ubi una sem-  
 per notitia unumque cognoscendi adminiculum, viam  
 continuo ad aliud pervenienti sternunt: Hoc scientias  
 excolendi, hoc ratiocinandi, hoc eleganti solida ratio-  
 cinia habitu induendi, desuper constitutum, fundamen-  
 tum est, hoc incitamentum, hæc invitatio. Quare alioqui  
 tam pulchra esset rerum universitas creata. (Enim enim-  
 vero, sicut integer antea integris hominibus, ita corru-  
 ptus corruptis, optime jam mundus inservit), nisi ut  
 Summum ejus Artificem laudibus & veneratione prosequi  
 disceremus, qui nec voluit nec potuit eandem rudem nobis  
 & indigestam tradere? Quare vero, exemplari sic pro-  
 posito, ducti doctique, ad formosa quævis præ deformi-  
 bus æstimanda, essemus, nisi & nostram oporteret sci-  
 entiam, suo aliquatenus modulo, qua ordinis concinni-  
 tatem, nexus partium atque ornatum, ipsi mundo, cu-  
 jus

jus quasi pictura erit, similem fieri? Laudantibus hic ramen eloquentiam haud animus est; ad absonta commenta somniaque delabi, sed Eruditum putamus, pertexta meditatione, novaque iterum inquisitione (licet id recapitulationem vocare) peracta, postquam certo sibi conscientius est factus, libere & sine frenis vagante imaginatione ad errores se non suisse perductum, porro quoque aliis sententiam suam expositurum, ordinate, clare & terse loquendo scribendove, præstare hoc debere: sicut *in corpore sano mens sana* requiritur, ita in illo etiam rectam rerum cognitionem, ex modo ipsius aliis eandem explicandi, esse dijudicandam. Cæterum stylum ab argumen-to dependere debere, nec magnificis vocabulis de rebus vilibus utendum, nec grandia levium nominibus denotanda, rumores de lana caprina non excitandos, aut festis profestisque diebus eodem semper habitu incedendum, e. s. p. Quin ita profecto se habet etiam res cum scribendi genere, omnino sicut cum vestibus. Terli esse, nec ornati tamen, & ornati cultique, nec splendidi, possumus, suæ singulis occa-siones sunt, neque has sumi pro illis oportet; Quod eo clariss apparetis, si id, quod de ideis non nisi imaginibus ex superioribus modo repetebamus, recordemur. Cogita-tiones sane nostras, sicut corpora, multifariam comere svevimus, prout vel necessum fuerit, vel in mentem ve-nerit, vel permiserint facultates. Has vero partim natu-ræ, partim arti debemus; naturam dum nascimur accipi-mus, artem ut discendi occasionses se obtulere callemus; & illius præterea incommoda hujus emendamus auxilio, quod sicut de corporis pulcritudine, mulieres, ita de a-nimi quoque donis posse prædicari, Eruditi norunt. Con-cludimus denique, omnium eruditissimum, omnium per-spicacissimum. & scribere & loqui omnium aptissime, ad captum & utilitatem omnium stupidissimi debere, at-que proverbium illud Eruditorum: "nobis non licet esse tam

tam disertis, qui Musas colimus severiores" bene intelligi, bene limitari oportere, ne titulis externe speciosis, sed reapse vanis tamen fallisque, abusui & licentiae prætendendis inferviat.

### APHOR. XLVII.

Quamplurimæ sunt regulæ & præscripta in quibus diutius morari nolumus, quæque vel talia docent, quibus intelligendis primo confessim intuitu quilibet par est, vel nihil continent, quod peculiariter quidem Eruditum magis, quam alium quemlibet, concerneret. Huc referri potest quicquid proprie ad vestitum pertinet, ad gestuum verborumque urbanitatem &c, ubi Docti sine dubio ut cæteri mortalium, ad mores receptos & ad facultates suas attendent, in iis quæ conscientiæ non contrariantur consuetudinem sequentur, in minutis ad lubitum commoditatemque suam se gerent e. s. p. Sordide sane vestiri ad eruditionem necessarium haud est, neque comtum esse ingenium caput & capilli incomiti significant; Sed & hic tamen rariores, ni magnopere fallor, posthac amplius de Eruditis conquerendi rationes, obtrectatores habehunt, cauſæque mutationis, in præsenti mundi & rerum statu, facile reperiundæ sunt.

Modi porro in legendo tenendi regulæ crepantur, quæ maximæ sint necessitatis. Certum est, in genere quidem, ejusmodi Philosophiæ martyres, qui studii, curarum & laboris pernimum litteris tribuunt, ita ut corpus eo pariter ac animum defatigent atque enervent, præter voluptatem illam, sciendi suum desiderium novis indies cognitionis augmentis satiandi (si alias nimiruni satiari hoc unquam potest), neque a DEO neque ab hominibus molestiarum suarum remunerationem postulandi jure videri gaudere, eam vero fe-

felicitatem, qua ipsi se putant in ista sua vivendi ratione frui, talem esse, quam cum nequimus tum nolumus, reliqui homines, eis invidere. Certum itidem, sanitatis aliasque prudentes cautiones qui adhibent, bene sibi consulturos. Illud quoque certum, majores & minores animi & corporis vires limitationes heic & varias variorum explicationes producere. Sed omnium tamen certissimum est, minus jam esse ibi necessaria præcepta negativa, ubi cuilibet profecto tanta sponte geretur alia commoditatis cura, quæ affatim impedire valebit, ne Herculeas temere nobis ærumnas velimus.

Ab antiquissima denique ad nostram usque ætatem, peregrinationes etiam Eruditis fuere usurpatæ, quæ, ubi occasiones earundem dantur & fundamenta doctrinæ domi prius bene sunt jacta, maximam omnino utilitatem præstant; Sed nec adeo tamen indispensabilis aut inevitabilis esse necessitatis credi debent, ut & citra eas solide prudenterque cogitandi-ars non addiscatur. Quod quidem nostris adhuc magis valet, quam priscis temporibus; utpote qui per euntes continue redeuntesque tabellarios, ephemerides Eruditorum &c., facile omnium quæ inter exterios geruntur, adeoque inventorum pariter, illustrationum & adminiculorum quorumvis, ubi cunque obviorum, notitiam consequimur. Græcorum olim Philosophis ad Barbaros, & in Ægyptum inprimis, frequentia suscipiebantur itinera, unde vero reduces ut plurimum aliud nihil apportabant, quam carbones pro thesauris sibi obtrusos, multa Inania & maxime stulta atque insana, quæ domi forte manentes pulcre vitas sent, longeque insimul melius scientias excoluissent: Cujus rei Thales in aliis, Pythagoras & Plato, satis evidenter veritatem comprobant. Simile quippiam nostris quoque diebus haud raro contingere observatur, atque tam hoc in casu, quam ubi nihil aliud ex pere-

grinatione lucri capit, nisi penulam quotidianam & crepidas exterorum doctorum, ut proverbium habet, describere nosse, nemo dubitat sanus, quin consultius fuisse, quoad eruditionem tantummodo, pedibus haud extra museum positis, familiares sibi viros istos redidisse. Cæterum reliquæ omnes regulæ, quæ aliis quibusvis hominibus, peregre proficiscentibus aut versantibus, observandæ sunt, de doctis etiam similiter prædicantur.

## APHOR. XLIX.

Vetusta est illa quam diximus, libros Eruditis sole-re nimium cordi curæque esse dicentium, objectio; ipsi homini etiam libri, divini quid inesse credi & superstitionis tribui cultum, calumniantur. Multos esse, re-vera dignos hac reprehensione, ingenue confessi sumus atque adhucdum confitemur; Non enim is qui pluri-ma, sed qui optima, nec qui optima, sed qui optime legit, laudari meretur. Alii autem e contra sunt, vel phantasticis a vero agnoscendo præjudiciis præpediti, vel ambitione ducti & autodidacti videri cupientes, qui nul-la unquam volumina tractare volunt, sed prorsus eadem fastidiunt; hac ex. gr. morositate & arrogantia multam sibi invidiam contraxit, labemque famæ aspergit, Carte-sius. Cæterum apte atque ad rem accommodate quidam obtinent, bibliothecas ipsi mundo componentes: in utrisque, inquietunt, boni malis, integris impostores, ostentatores heroibus, admixti obveniunt, ideoque caven-dum nobis est, & cujusmodi cum hominibus rem ha-beamus, sollicite dispiciendum: Jare proinde hic sive alibi distingvimus inter hostes, alienos, notos & familiares. Libri in quibusdam rebus præferuntur, atque merito suo, conversationibus, in aliis deterioris conditionis sunt. Hic nonrum, omnem omnes utplurimum industriam suam atque studium, ad bene faciendum o-pus,

pus, navant, necessario ad id quoque otio non carent; Verum enimvero, in conversationibus cuncta, sicut a festinantibus præstari poterunt, æqui bonique consulenda sunt, & talibus qualibus cupediis oportet esse contentos, quas persæpe mehercle, ex ipsissimæ paupertatis penu protractas, admodum nobis jejunas miserisque invicem porrigitur. Si in libris argumentum aliquod solide pertractatum non fuerit, tempus liberioremque a perturbationibus animum habemus, quæ deficiunt proprio marte supplendi, vel alibi quærendi: Nisi congruant dicta cum genuinæ Doctrinæ Moralis regulis, deliberandi mora, ne seducamur, conceditur; si vitia nostra persentiscimus acu tacta, libentius sane coram libro culpam profitemur, nobisque ruborem suffundi patimur, quam ubi vivi adsunt testes. A. i. p. Hic etiam eorum illam notamus opinionem, in controversantium inter se (Aphor. XLIII.) Academicorum & aliorum Litteratorum lite examinanda obveniente, qui mundum inquiunt veram magnamque Academiam & Universitatem esse: Speramus videlicet, haud fore nos, in Academiis versantes, suspicione premendos tam æquæ unquam sententiæ impugnandæ. Idem sane, nisi egregie alias fallimur, nobis mundus patet, ac aliis, eandem tellurem incolimus & cum ejusdem ac cæteri naturæ hominibus cohabitamus. Quod ipsi experiendi occasiones nec habemus, nec habere quidem sæpiissime cupimus, id eorum ex relationibus qui experti sunt novi, quamdiu vero junioribus nostrum ad relationes tamen solas omnis perpetuo res recidet, perinde omnino erit, utrum propria sua, an aliorum fide dignorum virorum, experientia comprobatas, regulas nobis tradant Academicæ nostri Patres; in mendaces, ridicularios atque ostentatores si quando fortassis incideremus, a theoreticis anapacticis deciperemur, (utriusque generis

fœcundum enim indies orbis proventum videt) nihil interesset. Libri denique licitum & honestum medium sunt, sudoris & laborum alienorum fructus percipiendi, damnis & stultitia eorum sapiendi, atque in calamitatibus eorundem quæstum faciendi. Modico pretio inventa habemus, quæ aliorum loculos exaufer & marufia extenterunt, nec admodum difficulte labore intelligimus, quæ non semel sed sàpissime multas iisdem, sub inquirendo & meditando, insignesque crearunt molestias, nobis vero propemodum gratis constant: Experientia eorum in otio fruimur, quam multis euris acquisiverunt; sub qua sibi comparanda gravissima quævis mala perpessi sunt, & eximiis in periculis fuere versati; quam fortunæ cum dispendio coemerunt, nec raro vita & sangvine suis. O bonos homines! Optimo profecto jure gratitudinem nostram depositunt, pagellis quibusdam vel volumine contenti, sic tantum per glutinatorem exornari curato, prout facultates ejusvis nostrum permiserint; libro quem cum pulvere & blattis tineisque luctari in repositorio sineinus: Summa inhumanitas esset, tam æquas nobis conditiones oblatas rejicere. Si paulo majora folia sint, mulieribus etiam ad placentas concoquendas, variisque præterea ad varia &c., inserviendi honore potentur; de illarum certe, in primis adversus manuscripta, summa crudelitate, diu jam sàpeque, sed frustra, ab Eruditis quærelæ factæ sunt.

### APHOR. XLIX.

mnis actio quæ sine bona voluntate vel sine recta ratione fit, manca & nullius pretii est: Quidvis ingenium sine bona voluntatis intentione odium parit, & sola intentio, utcumque bona, cum in agendo ab ingenio destituitur, contemptum; ideo utraque attributa conjungi debent. Is perfectus est, qui sic ea conjungit, ut

ut & que utriusque particeps sit, hicque venerationem  
meretur & honoratur; post eum, qui plus aliquanto  
bonæ voluntatis quam ingenii habet, is amatur: Insi-  
mo autem jure suo meritoque gradu improba voluntas,  
ab ingenii calliditate adjuta, & quis omnibus morum  
censoribus collocatur; quippe qui nequam hominis ge-  
nuinus character est, atque ejusmodi quidem vir timetur  
solummodo & suspectatur. Qui aliter vel in Divinis vel  
humanis rebus cogitant, in utrisque hæretici sunt. Qua-  
re nos quoque hic oportet, virtutis quidem omnino  
amantem atque summe studiosum, verum quem singu-  
larem Eruditum nostrum mente concipere; sed hujusmo-  
di tamen, qui prævio sibi sequendam eam examine e-  
legit, nec ideo quod ubique homines vocabulum quod-  
dam in ore gestent, collaudent, crepent, quo rarissime  
sibi sunt consciæ, quidnam ipsi intelligant. Hujus vir-  
tutis præcepta, & ratione totius universi & peculiarium  
civitatum & privati cuiusvis hominis, quando pro Di-  
vina officiorum nobis incumbentium norma habet, tum  
vero illico providam putat manuductionem, atque curam  
de felicitate hominum verisque mediis ad eam obtainen-  
dam ducentibus. Historias percurrens, paganas quoque  
gentes, sine DEI notitia in cæcitate & fœdissima vita de-  
reiictas, semper perspicit, cum existimare innatum sibi con-  
scientia lumen allaborarunt, ipsas sibi pestem necemq; esse  
machinatas, & eodem prorsus tantoque ab hac meta inter-  
vallo fuisse omni tempore remotas, quanto ab impia vita  
& vitiis fuerunt. Contristatur equidem, sed & lætatur in-  
simil, optimæ notæ videns Græcorum e. g. Romanorumq;  
scriptores, de caussis calamitatum seculi sui disquirentes,  
sob omni sua de purioribus & genuinis virtutis fontibus  
ignorantia, in virtute tamen proscripta & obsolecente  
eadem reperire, morumque a summiis ad infimos  
usque in patria sua regnante corruptione. Alt ex eo e

contra quantum, quam parum, voluptatis capiet, dum  
 Christianos recordatur hos præ cæteris ex scriptoribus  
 suis in deliciis connumetare, qui vel aperte omnino,  
 vel saltim euniculos agendo, homines docere satagunt,  
 florentis civitatum status & singulorum bene beateque  
 vitæ transigendæ fundamentum esse libere infrenibus  
 quibusvis cupiditatibus morem gestum! Recta hanc rem  
 via secum reputat, intime persvasus cum de totius per  
 Providentiam Divinam mundi ad ejus nodi regularum  
 ductum gubernatione, quibus efficitur, ut omne vitium,  
 ceu magis minusve & vitiosi ipsius & aliorum felicitati  
 semper contrarians, naturaliter proinde pœnam suam  
 in se ipso, & arcte sibi unitam, habeat, tum & de sol-  
 licita (sicut nostro quidem DEUM modulo metientes lo-  
 quimur) ad singulorum actiones attentione. Hoc sane  
 tam dicta Scripturæ innuunt, ubi iurpietas stultitia usur-  
 patur, quam eorum sententia comprobat, qui omnia  
 Decalogi præcepta quodammodo esse œconomica & po-  
 litica contendunt: Hæc Legis cum Evangelio conve-  
 nientia est: Hoc Ciceronem & Philosophos Stoicos ad  
 id quod honestum non est, nec utile esse statuendum  
 permovit; hoc Pufendorffium ad *socialitatem* ponendam  
 pro Juris Naturæ principio & Wolffium denique ad *pro-  
 motionem perfectionis* urgendam, atque obligationem per  
 connexionem motivorum cum actione definiendam. Dif-  
 ferentiam nimirum ultimam, inter sapientiam & justi-  
 tiam DEI, perspicere ratio nostra nequit; sed interim  
 tamen res omnino est, quæ præter hæc attributa boni-  
 tatem quoque ejus docet, nec minus gratitudinem, obe-  
 dientiam & venerationem nostram postulat, quam securi-  
 tatem constituit, quod tales mortalibus cum Natura-  
 les tum Revelatas nobis Leges dederit, quæ in utilitate  
 officia & in officiis utilitatem commonstrant. Næ igi-  
 tur stultissima hominum cogitata sunt, DEUM & Ver-  
 bum

bum ejus negligentium, sive ut Politici sive ut Morum Doctores considerentur; nec vel singi aliquid absconum magis aut contradicitorum potest, quam Creatorem operis sui indolem, & creaturarum suarum necessitates, solum optime non intelligere.

Horum noster periculosos evitans errores, eos itidem valde improbat modernos Philosophos, qui, ubi substrata eos materia subinde fateri invitatos cogit, de hac vel illa re dilucidiora pluraque habere & clariora statuere Revelationem, quam ea sunt quæ ratio assequitur; ex continent per aliquod "hoc alieni est fori", vel aliud quippiam, pudefacti se in pecces excipiunt, quasi nefandum quid & indignum maiestate sua facinus jam commisissent, vel larvæ spectraque horrenda, ad fugam medio in itinere capessendam, præcipites eos egissent. Neque confundenda nempe statuit argumenta & limites rationis atque revelationis esse, neque tamen, sive distinctione illa inter "rationem in concreto & rationem in abstracto" spectatam, sive similibus, abutendum putat, ad venerationem, quam ore profitemur, ipso actu Verbo DEI denegandam, aut ad ethnicorum Doctos irritandos, diuque adhuc post frugis inventionem totam per vitam glandibus vescendum. Philosophi certe, quas cunque demum ingrati voces frivolas jactent, non multum itineris proprio ductu progressi fuissent: "Ce n'est pas (ait la Pluche) un petit avantage pour ceux qui cherchent, que de connoître les chemins qu'il ne faut point prendre & le côté dont il faut se detourner." Imo vero tuto contendere licet, non modo haud parum hoc auxilii conferre, sed & totum eo ut plurimum inquisitionis negotium absolvi, vel saltim potissimum ejus partem; præsertim si sollicite paulisper ad universæ Philosophiæ nostræ, excellentissimæ scilicet, indolem attendamus, ubi id tantummodo haud raro discimus, quid non sit

sit hæc illave res, sed nunquam fere, quid sit. Eruditus itaque noster Revelationem pro optima præstantissimaque sapientia habet, neque gratitudo ulla vel animo concipi potest, aut sensere unquam jucundas adeo pectora hominum commotiones, omnibusque ita lætitiis incessere, ut in hac ei consideratione sufficientes credantur. Ad intelligendam venerandamque religionem Christianam, omnis ei, nulla excepta, omnium scientiarum, quascunque uspiam didicit, peritia inservit: Universus ille vastissimus eruditionis campus, cum omnibus eo pertinentibus, sive a veteri sive recentiori Historia petitis, illustrationibus, sub lectione Sacri Codicis ob oculos versatur, nec ulla tamen ratione vel minimum quid pretio detrahit, quod huic imponit; quin auget id intenditque potius. Prout, altera vicissim ex parte, nunquam ipsum ad erudita inibi mysteria venanda, ceu quorum revelatione a fine Scripturæ Sacrae remota est, dedit.

## APHOR. L.

Sic neque cum prisei ævi Philosophis Eclecticis, & his similibus somniatoribus, indiget ad systema emanationis aliquid aliave commenta confugere, in hoc suam spem fundaturus, quod DEUS haud longe ab unoquoque nostrum sit, in eoque vivamus, moveamur & simus (Aetor. XVII. 27. 28.); neque indecore quid ab irreligionariis mutuari, securitati mundanæ se tradere semperque ordinarium naturæ cursum, vel eventus sine causa crepare, ut hilaris & sine metu sit, seduloque in statione sua laborare, molestiarum suarum fructum & præuentis suæ difficilioris conditionis in meliorem immutationem exspectare possit. Non superstitionis fieri, ut in usus suos transferat documenta, quæ indies videt, directionis & providentiaz DEI, unum inexpectata benedictione consolantis, alteri vitam incommodo inapparationis tempore.

tempore abrumpentis (Ps. CXXVII: 1. 2. Eccl. IX: 12.). Postquam rite aſivefactus est (atque in hoc ipſo fructus scientiae ejus ponitur) in omnibus agnoscere non casum tantum fortuitum aut fatum aliquod cæcum, sed pro-vidam Creatoris O. M. curam, tali quoque modo omnia, quæ per totam ſibi vitam accidunt, ſive læta ſive triftia, conſiderat. Valde culpabilis quædam infirmitas noſtra eſt, quæ ſuppudere nos perſæpe boni facit, ſicut horrendæ proh dolor! corruptionis indicium, quod insuper haud raro de malis atque illicitis gloriari ſuſtineamus; Verum enimvero diſpulſis per Divinam gratiam tenebris omnibus, quibus hæc nobis vulgo ſolet cæcitas produci, haud amplius periculum noſtro imminebit, de fidei quam in animo fovet ingenua & alacri confeſſione erubescendi. Nec ſtupidus ideo timebit aut ſuperstitioſus audire; ſciens, quemlibet ob pietatem talia ipſi no-mina imponentem, cum id non niſi malitia vel levitate ignorantiae faciat, alioquin etiam æque paratum futurum ad famam ejus manifestæ impietatis, calliditatis vel ſubdolæ cujuſvis arrogantiæ calumniis impuden-ter laceſſendam. Talentis ſibi a DEO confeſſis ſedulo fideliterque utitur, cumque ejus ſolummodo providen-тиæ & directioni conſiſlus laboret, haud frustrari bene-ditione ejus potest. Quod hac vice bene ſatis non per-ſpexit, id illud ad tempus relinquit, temere & præter neceſſitatem haud festinat, melius ſe quandoque rem in-telligendi dono potitum, nullus dubitans; Certitudo hæc autem in eo ipſi fundatur, quod non ad fastum utendi, ſed veram ſuam & aliorum felicitatem promo-vendi, intentione ſcientiam petat. Sic & ſana bona que edoceri & melior ſimul evadere poterit, ſic nunquam ſe perditum laboris ſuji fructus ſciet, ſic ſatis cui libet per-itiam rerum doctrinamque ſuam, occaſione data, vi-den-dam ſiſtet. Has occaſiones affatim inveniet, ſponte ſe

offerent, nec anxie easdem querere opus habebit, bene gna-  
rus, a quonam mittantur & quomodo iis utendum sit;  
Eopse vitans intempestive se torquendi molestiam, &  
multorum illum, sive opportunum tempus sive non fue-  
rit, se jactandi morem, ridiculas & odiosas varias, qui-  
bus quotidie turpiter se dant, futilitates producentem.  
Persuasiſſimus ad postremum de eo fit, dimidio minus  
difficilem sibi esse sinceram virtutem, quam his est af-  
fectatio ejusdem, qui in animo infenſiſſimi ejus hostes,  
externe tamen, quod revera haud sunt, apparere alla-  
borant; genuinam prudentiam animam esse optineque  
consistere cum bona voluntate, & cum virtute sapientia.  
His imbutus principiis, ex bene sibi faciendo  
voluptatem capere DEum suum reputat, infinite se sa-  
pientiorem esse, & melius se nosse, quid utile sibi sit.  
Nec ideo tamen invincibilem in afflictionibus patientiam  
ostentat, sed ab illo solo exspectat tam in officio ma-  
nendi, quam resurgendi post lapsus, vires; haud imme-  
mor, neque secundam neque adversam fortunam, per-  
se, ad sorte contentos probosque reddendos homines  
sufficere, sed absque illuminante & assistente divina gra-  
tia, illam quidem grati pro acceptis beneficiis animi lo-  
co insolentiam, hanc loco humilitatis vitaque emenda-  
tionis, opinionem propriæ sanctitatis, impatientiam, de-  
sperationem posse progenerare; utrasque demum, quo  
quis plura sive consequitur bona sive non consequitur,  
eo vehementius ad majora desideranda, imo ad obdu-  
rationem & furibundis Omnipotentem blasphemis im-  
petendum, deducere. Sine virtute nulla est firma animi  
securitas & sine pietate nulla est firma stabilisque vir-  
tus; sine his mediis felicitas æterna nunquam obtineri,  
& temporalis nunquam professe potest. Ne tum quidem  
esse improbos oporteret, si tuta semper impietas esset,  
felicem in hac vita evadendi, via; multo minus igitur

cum

cum longe abest, ut vitiorum calcando semitas, nos ipsos posterosve nostros a variis calamitatibus, quibus communiter homines obnoxii sunt, fore eximendos, sperari queat: Multorum etenim peccata, jam ante quoque obitum pena consequitur, & quis vero quemlibet nostrum certiorem fecit, ipsum quidem, quod ad se attinet, ad hos non fore novissime referendum? Immanis est quæ hic se prodit sensum rationi præalentium vis; qua sane pro toto cœlorum regno, certissimis indubitatissimisque promissionibus oblato, nemo fere nostrum vel levius quidem, ne dicam capitis, subire auderet periculum, quamvis tamen ad similia suscipienda similiaque dicenda cum milite quodam, tantum non omnes, paratiissimi essemus, imperatori suo, Comiti Saxoniæ, bene adeo atque apposite ad quæstionem: cur vitam, rusticos diripiens, paucarum lucro librarum (livres, monetae Gallicæ) æquiparare præsumserit? imperterrito respondenti vultu: “parbleu mon General, je la risque bien tous les jours pour cinq sous” (id videlicet diurnum alijs stipendum merebat). Cæterum de ista sensum in rationem dominatione supra sæpius, variis in argumentis versantes, commemoravimus; ex. gr. Aph. XXII. XXXI. XXXIX. & XLII. fin. Hæc & similia recordatur Eruditus noster, & maximopere admiratur cum in temporalibus mortales tum spiritualibus solere cæco omnia fato committere; stupet, perpendens viventes sine lege, sine lege quoque judicandos. In æternam putata perniciem inciderunt & incident, qui valde hic comoda vita sunt usi; incident & alii, qui facti quasi & nati ad miserias, postquam ærumnis vexati contintiis vixere, sine spe tandem & solatio morientes, requiei loco perpetuas molestias, & pro fine tolerabilium vicisitudine calamitatum, æternos inveniunt cruciatus. In cœlum perpauci ingredientur docti, divites, felices, nobiles

biles ( I. Cor. I: 26 ); in gehennam vero innumeritudo pauperes , humiles , & ejusmodi prognati infausto vermiculi sidere, qui omnem per vitam vix unicum videre subblandientis sibi fortunæ momentum. Sic enim alii æternæ salutis hæreditatem suam auri tonnis , alii mucidi panis frustulis venum dant, atque ostendit denique eventus, neutrā altera partem vel stultiorē eo vel callidiorē se præstisſe: Nec majus, si ad honoris scientiæ gradus attenderis, discrimin intercedit.

## APHOR. LI.

Facile intelligitur, pietatem, quam adeo serio sectatur hujusmodi Doctus, neutquam in factio aliquo, & proprio electo ausu, jugo eum ponere, in perpetua mœstia & temerariis corporis animique cruciatibus; ut potest qui DEum pro immitti quodam tyranno non habet, nec Salvatoris pro se meritum & paſſiones insufficientes existimat. Ex illis sane non est hypocritis, qui contra divitias, honores & voluptates hujus mundi prædicando, ipsis sibi opes, auctoritatem & vitam commodam parare satagunt. Non semper austerus, "mœrens fronteque ut cochlea corrugata" apparere studet, nec innocentia intempestive damnat gaudia. Si non natura, certe post accedente tamen gratia DEI, ita est animo affectus, sincere ut omnibus bene cupiat, nullaque magis re & ipse lætitia perfondatur, quam ubi alios esse latoſ videt. Gratias Summo Numini agit, quod tantis ærumnis amaram nobis hanc vitam, subinde haud eo feciſ gaudiis datis tolerabilem, immo jucundam ecce & ſavem quoque! reddat; petit inſimui humillimus continuo precibus, ab Optimo eodem Creatore ſuo, illuminationem & vires, tam ſibi quam aliis, ad innoxio gaudiis animo utendum. Hujus vero doni incomparabile pretium ex raritate ejus asti-

estimat; nam scit atque deplorat, varii generis, cum sae-  
 nae rationis quoslibet homines, tum Christianos inprimis,  
 minime decentes mores, immodicæ animi levitatis in-  
 dices, procaces, fuitiles, lascivos, non minus induci liciti  
 colore gaudii solere, quam sanctæ pietatis larva hypocrisin-  
 tegi. In misanthropia proinde aliqua, hominibus vide-  
 licet humanaque natura indigna, ad quam nonnulli de-  
 labuntur, nullam querit gloriam; utpote quam in iis po-  
 tius censet rebus habendam, quæ omnium minime se  
 deceant, cum religionis Christianæ præceptis tum sana  
 ratione satis edoctum, omnes homines, ceu in omnibus  
 sibi similes, unius ejusdemque Conditoris opus & eodem  
 omnifariam jure invicem gaudentes, alia omnino quam  
 ejusmodi esse ratione considerandos. Adeo sane iniquus,  
 imprudens & stultus haud est, ut eandem indolem, eos-  
 dem nævos, qui & ipsi sibi æque competunt, aliis ex-  
 probret: Doctus quippe ambitione effterri de eo haud  
 potest, quod magis quam alii evidenter perspicere queat,  
 ambitionem teterimum atque abjectissimum esse vitium.  
 Sapientiæ quosvis arrogantes titulos & odiosam affecta-  
 tionem sedulo cavet, cum ineruditis conversari haud  
 recusat; quin majores in ejusmodi reperit ineruditorum  
 conversatione delicias, qui cæteroquin a recta bonaque ra-  
 tione commendantur & vitæ peritia, quam quas a certi  
 cuiusdam generis Eruditis sibi sperare posset. Universum  
 hominum genus tenerimi amoris affectu complectitur,  
 hocque amore imprimis dilectatur, sed eo tamen nihil se  
 nisi officium suum facere, minime autem favorem vel cle-  
 mentiam atque benevolentiam præstare credit. Sum-  
 mun, porro, lucrum ponit in cupiditatibus suis doman-  
 dis, nullum autem honorem reputat, adhuc post divini-  
 tus traditam nobis meliorem notitiam, cum Philosophis  
 Stoicis aliisque ostentatoribus, de possibilitate penitus e-  
 radicandarum earundem gloriari: Infirmitatem inter in-  
 dubi-

dubitatissima hominis attributa recenset, hujusque agnitionem inter optimas ejusdem virtutes. Scilicet se gerere prævaricatio est, sed vacuum se a stultitia opinari, is vero proprius stultiæ character & merito habetur: Tam ergo miseræ, tam male cohærentes tamque sibi ipsis contradictoriæ, in præsenti mortalium statu, virtus & sapientia sunt; ecquemnam ejusmodi quæso sapientia, ejusmodi virtute, non dispuderet tumere & turgescere? Scit noster atque agnoscit officia sua erga omnes in universum homines, sed multum abest, ut tutelam mundi sibi esse commissam, vel se aliis omnibus in exemplum propositum putet. Non amat perodiosas arrogantesque illas cætitatis mortalium, ubi vis in ore gestas, commiserationes; dolet deploratq; de iis, sed tum quidem non de aliis tantum, sed pariter de se ipso quoque deplorat. Hujusmodi autem Ereditum ad certum aliquod vitæ officiique genus non restrin-gimus, utpote qui, cujuscunque velis, esse poterit, in eoque tam minoris quam majoris dignitatis, dives vel pau-per, immo & animi forsan dona mediocria accepit, verbo, omnibus quibus pretium mortales statuunt bonis, tantis solum nobis singitur potis, quanta ei, sive majori sive minori mensura, concedere ea DEO placuit: Sive magnis vero sive parvis natus sit, in rite solum utendo eisdem honorem bonumque suum positum existimat; ubi multum datum est, ibi multum quoque illum qui dedit reposciturum scit, & qui duobus talentis duo lucratur, eum pari laude dignum habendum, ac alterum, qui quinque sibi traditis & ipse totidem alia fœneratus est. Quod rectum est & recte agi-tur, id collaudat, sed ubi sevis se res habet, scapham sca-pham vocat; idque nec cum potioribus facit invidia du-ctus, neque cum inferioribus contemtu. Animi denique tranquillitatem servare cum primis studet, probe gnarus, eum qui vel quod ad divitias, vel honorem, vel doctrinam, non quid opus & necesse sit querit, sed cupiditatum ob-su-

temperat stimulis, aut aliorum prærogativas suorum mensuram votorum constituit, si etiam in omnibus omnino inceptis suis, continuis uteretur & felicissimis successibus, nunquam tamen tantum consecuturum, ut magis non concupiscat, nec unquam eo usque pervenire posse, ut nova perpetuo occasio novam non progeneret æmulandi necessitatem; si in omni quacunque re, ejusmodi homo, superior ubique aliis omnibus, & toto reliquo mortalium genere, evaderet, semper nihilominus pressे nimis inse- quivestigia sua & talos sibi premere alios, eum crediturum, semperque minus, ac esse cuperet deberetve, a cæteris si- bi distinctum videri.

## APHOR. LII.

Hæc noster vivus perpendens, his studens rebus, ita se gerens, quomodo itaque moritur? Fronte vultuosa & animo omnium omnino rerum incurioso, magnifica loquens minacemque heroismum affectans, provocator DEI & hominum contemtor? Numquid in facetiis forte & jocis oceupatur; an morti obmurmurat, sicut de nonnullis philosophis historiae referunt, nuper demum vivere incipientem, & ipsa vix principia scientiarum hactenus affe- cutum, præmature abripiendi? Inquietusne est & consilii incertus, expes vel de fundamentis spei suæ dubius atque vacillans, eum Hadriano canens: "animula, vagula, blan- dula, quæ nunc abibis in loca"? Hicne valebit quod Vos- sio perscripsit Dodwellus, & plurimum proh dolor! acci- dere quoque solet: "indoctos cœlum rapere, dum Eruditæ famam & leviorem pluma gloriam aucupantur"? Minime gentium. Ingressio a tempore ad æternitatem, & reddenda mox actorum hic omnium ratio, non sane indifferen- tes nulliusque momenti res sunt, haud per jocum aut mi- naciter tractandæ: Creatorem a creatura contemni! quis hic esset furor? & in illo maxime, qui melius aliis, nihil et- iam nisi furorem esse, intelliget. Qui totam per vitam li- beran-

liberandæ ab ignorantie caligine rationi studuit, næ ille morti vicius in fatuitate, vesania, rabie, honorem haud quæret: Qui sanus quoque & valens plurima sensit infirmitatis suæ documenta, sincereq; & ex animo peccatorem se est confessus; ultima subiturus fata, & in majoribus difficultoribusque negotiis, eum se præstare non temere præsumet, quem nec in minoribus prius potuit. Qui sponte antea hominum agnovit stultitiam, verbo DEI contemto, fonteque adeo genuino relicto, rivulos sectantium, miseros & sine aqua puteos sibi fodientium: qui de religionis Christianæ præstantia certus, omnes qui destituti ejus notitia sunt infelices prædicavit, horrescuit eos qui sponte sibi oblatam rejiciunt, miratus est qui recipiunt nec in usus suos tamen vertere curant: qui semper Divinum sibi auxilium summe duxit necessarium, & frequentissime id, intimo illico ex animi affectu gratias agens, in minoribus etiam expertus est periculis; is certe destitui jam eodem, summis ultimisq; in angustiis suis, minime potest, spe se abdicare & desperationem eligere, illuminante assistenteque gratia quam semper quæsivit privari, & in miseriis suis, cum maxime sentit easdem opeque indiget, deserit, prorsus rejici & cæcitati propriæq; imaginationis deliriis relinqui. Longe hæc enim vero a bonitate, sapientia & misericordia DEI absunt, immotis contradicunt, quæ ipse nobis præscripsit, fidei & consolationum principiis, nec unquam possunt existere. Conscientiæ pax animique securitas, quibus continue operam Ereditus noster impendit, nunc præprimis utilitatem suam ostendunt; Divino ante auxilio paratas, eodem etiam medio huc usque conservavit. Inveniet equidem post mortem, corporeaque sua mole deposita, novam quandam conditio nem & statum, cuius insuetus sane omnino est, & cuius exiguum eo usque notitiam habuerat: Revelavit autem Deus, per alios tunc, nostris illis excellentioris naturæ, spiritus, cum ab omni nos timore & periculis, incertitudine & stupore,

pore, se liberaturum, tum beatores ad sedes translaturum, daturumque tandem, quam diu frustraque in terris quæsiveramus, veram quietem & solidam felicitatem. Multum abest, ut cum dolore & desiderio hic Eruditus orbem relinquat, in quo nulla obtineri stabilis fortuna aut constans voluptas potuit: Propinquum se videt & mox perventurum sperat ad metam diu exoptatam, gaudio potitum, quo dum fruitur, haud opus habebit unquam timere, inopinato idem, sicut ante accidere solebat, eruptum sibi iri; cui secure tutoque se totum tradere poterit, nec opus sibi amplius erit molesta tristisque cautione adversus fraudes corruptæ suæ naturæ, quæ hucusque, futilis semper & illiciti aliquid latitiis intermissione, omnes omnino delicias non nisi subemaras acerbasse ipsi reddiderat. Gaudia sine fine & gaudia sine culpa! hæc sane cogitatio, si quæ unquam, gravis etiam morbi ei acerbitatem, solius tamen Omnipotentis gratia, tolerabilem reddere valebit. Quod quamvis ita sit, nec in contemnendo certe mundo gloriam sibi positam ducit, quippe quem in omnibus aliis præter corruptionem rebus, ut DEI opus considerat, & unde plures adhuc præter se incolæ, ad eadem quæ ipse impræsentiarum petit domicilia, exspectantur atque venient. Multo minus ad istam delabitur dementiam, ut cognitionem doleat perdendam, quam partim fuisse falsam & erroribus plenam edocebitur, partim inutilem sibi in novo suo statu scit futuram, partim longe perfectiorem & excellentiorem fore denuo reperiundam; nam nunc demum tempus appropinquat, quo recte de illis eruditetur cuiusvis scientiæ quæstionibus & argumentis, quorum hucusque tam inquieta molestaque incertitudo eum tenuerat. Terra Domini est & omnia quæ super terram sunt; haud igitur credit, sibi esse directionem & régimen ejus commissum: Quomodo apud nos cum eruditione scientiisque erit, post mortem suam, hæc & hujusmodi curæ, hisque palliatæ prætextibus, nequicquam tranquillitatem ejus turbant, animum-

ve angunt; læta recordatio est, si aliquid saltem, sub vita transacta, ut humile in DEI Optimi Max. manibus instrumen-  
tum, boni subinde se potuisse efficere norit, hujusque oīnem  
jam gloriam illi venerabundus dat, qui auctor etiam, ipse  
& solus, ejusdem extitit. Nequit fortassis aliter esse, nisi  
ut Eruditio æque ac aliis, difficilis aliquām & tremenda  
initio mors appareat; sed cito, per Divinam gratiam, in  
victoriam illi lucta mutabitur, & talis Doctus, qualem heic  
nobis ob oculos ponimus, certo, indubie semperque vin-  
cet. Cursu confecto, cum DEO, qui in mundo eum col-  
locaverat stadiumque assignaverat, rursus ipsum revocare  
placet; postquam sufficienter, sub hacce in mortalitate  
mora sua, & opus consideravit & Opificem revereri didi-  
cit, lubens lætusque abitum parat: Clementissimus Crea-  
tor obedientem mandatis creaturam recipit, beatitudine  
donat, amore complectitur perpetuo, nec ulla potest men-  
te fingi tam gloria tamve integra & innoxia vita,  
quæ abunde honorata dici nequeat hujusmodi fine.

S. D. G.

